# IN HODIERNAE MEDICINAE STATUM ANIMADVERSIONES NONNULLAE...

Angelo Fava

# IN HODIERNAE MEDICINAE STATUM

*ANIMADVERSIONES*

NONNULLAE

PRO INAUGURALI DISSERTATIONE

EXARATAE

AB ANGELO FAVA

VERONENSI

IN CAES. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO.

PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINII

M. DCCC. XXX

JOANNI · JACOBO

PATRI · AMANTISSIMO

AMORIS · REVERENTIAE

TESTIMONIUM

ANGELUS FILIUS

D. D.

*Duo sunt scientia et opinio, quarum altera quidem scire facit, altera quidem ignorare.*

Hip. Lib. de Legib.

Cogitanti mihi, et historiam hodiernae medicinae volventi, contrarii excitantur animi motus, et oppositis pendet mens incerta judiciis. Cum enim et inventa praeclara, et repulsos errores, et auxilia postremo hoc tempore medicis illata considero, magna admiratione comprehendor, et mihi profecto gaudeo aetatis tam illustris munera percipere posse. Sed ubi analysim instituo, non sine dolore fateri debeo, theoreticas ac auxiliarias scientias potius apicem tetigisse, quam practicas et humanae utilitati magis accomodatas. An a petulantia juvenilis consilii propositio haec oriri videbitur? An inopportuna res erit me, hac potissimum die, qua medicam perdifficilem semitam aggressurus sum, quali sub adspectu medicae scientiae novo alumno sese prodeant, demonstrare? Scio equidem, me doctissimos viros et humanissimos allocuturum, ideoque securiori animo, quod sentiam, exprimere non dubitabo.

Ex quo Brunoniana doctrina novam attulit co-

gitandi atqne observandi rationem, universae reipublicae medicae commutatio contingit, et innumera scriptorum caterva argumenta omnia, quae huic scientiae pertinent, illustrare ac explanare coepit. Ex hcc ingeniorum fervore, et tanta studiorum copia, quid nobis recte ad trutinam expendentibus colligendum erit? Duplex scientiarum medicarum ordo apparebit, alter eas complectens, quae securis innixae principiis maximis increvere progressubus; alter, quae tamquam vortice hypothesium ac dubitationum volvuntur, et adhuc tuta basi carent.

Ad hoc probandum, breviter ante mentem hae scientiae parentur. Et in primis qualia nobis augmenta humana anathome praebet! Perscrutationes tot clarissimorum virorum percurrantur, et videatur quali solertia Bichat, Sömmering, Hesselbak, humani corporis texturam ac partes intimas perquisivere? Quot summae utilitatis in praxi chirurgica observationes edidit celeber. Scarpa? Quae illustratio lymphaticorum a Mascagnio et a recentissimo Lippio allata est? Quae, universis anathome partibus ab iconibus et institutionibus a clariss. Caldaniis editis atque collectis? Quae ab Alex. Monrò Tertii opere laudatissimo?

Anathome pathologica, quam nuper Morgagnius ad scientiarum caeterarum honores extulerat, innumeris additamentis nostro ampliata est saeculo, studio ac investigationibus Mekelii, Baillie, Johannis Bell, Portalii, et aliorum qui accuratis descriptionibus et tabulis perturbationes a morbis in partium norma inductas nobis tradiderunt.

Brutorum quoque compositio ab observatoribus diligentissimis perscrutata, novam attulit lucem et anathomiae comparatae notiones utilissimas praebuit.

Vicqd'azir, Tiedemann, Malacarne structuram avium, Mekel systema nervosum piscium, Cuvier regnum animale universum perlustrantes, corollaria phisiologica sapientissime deduxerunt. Joseph et Carolus Wenzel in opere *de penitiori structura cerebri hominum et brutorum,* summo ingenio historiam hujus organi exposuere. Home, Link, Blumenbak, Jacopi, et alii complures singulas hujus scientiae partes ampliaverunt.

Si ad Phisiologiam oculos vertamus, rapiditatem ac nobilitatem progressionis ejus cernendo, quis est quin obstupescat? Quot erroribus repurgatam, quot veritatibus exornatam eam nobis non offerunt recentiorum indagines? Leges, quibus organica vita subjicitur, et *animationis principium* subtiliter perquisivit Darwinius. Relationes quae inter physicum ac moralem hominem intersunt, quamvis non erroribus expers, summo tamen ingenio Cabanis exposuit. Membranarum naturam et officia, consensus inter cerebrum, pulmones, et cor, leges vitae partialis organorum, et cum universali nexum, systematis nervosi officia novis experimentis et theoriis Bichat explanavit. Gallinianae mentis acies, summa reipublicae admiratione, vitalitatis, textuum simplicium, functionum systematis vascularis et nervosi, definitiones ac notiones accuratiores retulit, et intimam molecularum actionem novo lumine patefecit. Craniologica Gallii studia, quamvis non omnino eorum adplicationes admittendae, utiles tamen observationes comparaverunt, et ob idearum novitatem atque sublimitatem non parvam merentur laudem. Wilson Philipp, et Le-Gallois leges motus ac sensus jam a Gallino praenunciatas complurimis experimentis confirmaverunt. Immo nimis longa, ac num-

quam satis laudata series scriptorum evaderet, a quibus Phisiologia culta atque ampliata est. Nomina enim Richerandii, Dumasii, Magendie, Virey, Hufelandii, Rudolphi, Schellingii, Jacopi et aliorum complurium in hujus scientiae fastis clarissima recensentur.

Nec minoris momenti auxilia fuerunt, quibus Chemia medicinam opitulata est. Fourcroy, Dalton, Davy, Thenard, Vauquelin, Berzelius, chemiae animalis fundamenta ponentes, phisiologiae ac pathologiae ad quantitatem et intimam elementorum qualitatem cognoscendam subvenerunt. Accuratius sanguinis examen Haenii errores, et veterum falsa judicia de ejus natura reformavit. Humores omnes, organa, vasa, membranae, nervi, ossa, tum pathologico, tum phisiologico statu investigata sunt, atque notiones praestantissimas ad mutationes morbosas judicandas et praecavendas praebuerunt.

Chemia generalis et pharmaceutica, principia alcaloidea plurimorum vegetabilium extrahentes, ac nova mineralia opportuniori methodo comparantes pretiosis praeparatis materiam medicam exornaverunt. Ex hoc itaque stultissimae ac saepe noxiae compositiones simplicioribus ac magis activis praeparatis locum cessere.

Historiae naturalis, et Botanicae profectus de die in diem ampliores evadunt ope laborum, itinerum, solertiae, accurationis tot excellentium scriptorum. Corpora quotquot sunt ordini philosophico disposita, characteres certiori norma descriptos habemus. Nec Linnaei et Buffonii studiis quidquam profecto invident opera Spallanzanii, Cuvierii, Lamarkii, Lacepedii, Blumenbakii. Et quoad vegetabilium distributiones et phisiologiam non mi-

noris habendae sunt Linkii, Jussieu, Trevirani, De-Candollii observationes illis, quae praeterita aetate a Malpighio, Duhamelio, Bonneto confectae fuerunt.

Si physicam respiciamus, et in hac plurima medicinae utilia inveniemus: nullum enim latet quantum phisiologiae ac pharmacologiae, novae electricitatis, magnetismi, calorici doctrinae profecerint.

Sed patentibus hisce progressubus scientiarum nunc recensitarum, quae medicinae theoricae partes omnes complectunt, considerationem doctrinarum medicarum, quae praxim efformant, breviter opponamus. Quo pervenere profectus spectantes ad morborum notiones, genesim, et subsidia, quae scopus caeteris utilior praestantiorque sunt? Inficiandum minime est, praxim nostris temporibus repurgatam fuisse quamplurimis erroribus, quibus nimia veterum reverentia, et irrationalis quaedam consuetudo mentes saepe obumbraverant: et quem porro latet universalis reformatio, quae in medendi ratione subsequuta est? Et re quidem vera contra fas esset, tot pathologico-clinicas recentes institutiones meritis laudibus non extollere. Et inter coeteras gentes jure Italia nostra superbire potest, eo quod classicis ac nobilissimis operibus semper, sed hac praesertim aetate, excelluerit. Ad rem summatim confirmandam nobis percurrere sufficiet illustrationes morborum cordis, indagines actionum ac reactionum organicarum a cl. Testa exaratas; irritationis doctrinam a Guanio, Bondiolio, et Fanzago tam docte extricatam; conditionis pathologicae, ac diversitatum in morbis essentialium naturam ab eodem Fanzago determinatam; processum phlogisticum tot argumentis, ac tanta philosophia a Tommasinio perscrutatum;

ingeniosas molecularis theoriae applicationes a Buffalinio conjectas; vermium historiam uberrime a Brera descriptam; morbos febriles a Gianninio; hydropes a Gerominio; rachialgitem a Racchettio; pellagram a Fanzago, et alias affectiones complures ab aliis illustratas, quas brevitatis amore praetermitto.

Nec certe extraneorum opera aspernanda putamus, quae ad praxim solidius firmandam contribuerunt, cum imo maximi facienda sint studia et Pinellii, qui mentis aberrationes primus philosophice disquisivit; et Alibertii, qui morborum cutaneorum doctrinam maxime ampliavit atque methodica forma collexit; et Brussais, qui pretiosas observationes, et documenta nova in chronicas phlegmasias edidit; et Reilii, qui febrium doctrinam summa eruditione pertractavit; et Hogdsonii, cujus ope morbi systematis vascularis nova luce pollent; et Kreysigii qui cordis affectiones perquisivit; et Orphilae, Bremserii, Hartmanni, Brandis, Hufelandii, Sprengelii, aliorumque Anglorum, Germanorum, Gallorum, a quibus medicinae partes omnes membratim adauctae sunt.

Sed in tanta scriptorum et operum multitudine, quaenam vere nova et utilia eruenda erunt? An ego nimis audax, aut stultus videbor, ubi asseram, non ita magna? Ante mentem parentur commentaria, quae diariis medicis omnium regionum committuntur, et ex innumeris elucubrationibus veritates solidae et inconcussae doctrinae deducantur. Ex hisce complures, aut inutiles disquisitiones, aut res jam cognitas, aut eruditionis vacuas controversias, aut partis studia referunt. Aliae hypotheses incertis innixas principiis, aliae contumelias in contrarie sentientes tradunt, aut facta effingunt, aut naturae phae

nomena multifariam interpretantur ad novam methodum confirmandam. Itaque fere omnis schola, et quaeque regio suo gaudet peculiari systemate.

Polarista ex. gr., cui ratiocinia *a priori*, et trascendentalis philosophiae phantasmata rident, morborum doctrinam atque remedia in arcanis influxibus invenit, et imponderabilia principia, polum positivum et negativum ad omnia explicanda in medium profert, non sine ingenii laude, quanta vero utilitate ac veritate ignoro. Homoepaticus praenuncians, quod a pharmaci stimulo morbi stimulus auferatur, similia similibus curat, et praxim ad empiricam formam revertit. Subtilioris phisiologiae alumnus, non a patentibus conditionibus et externis signis, sed ab arcana mixtionis organicae mutatione morborum differentias desumit, quae mutatio juxta ejus sententiam saepe similis in diversis, et diversa in morbis similibus invenitur: opinio, quae partim vera est, sed praxi inutilis; partim a factis oppugnatur, cum fere semper, curatis externis ac patentibus perturbationibus, et intimae mutationes ad normam redigantur.

Excitabilitatis sectatores, qui simpliciori ac magis philosophico adspectu res medicas aestimant, vacuitates nonnullas, et discrepationes magnas offerunt. Partim enim horum medicorum, et ingenio et experientia diuturna praestantium, totis viribus argumenta et facta ad hoc convertunt, ut vitalitatis et organismi perturbationes ab una eademque phlogistica conditione pendere probent, nullum aliud discrimen dignoscentes, quod in gradu, aut in organorum affectorum natura non sit. Summis itaque laudibus methodum evacuantem tibi extollunt, et

pharmacorum virtutes ad unam deprimendi aut excitandi facultatem redigunt. Partim historiis, experimentis, autopsiis contra hanc doctrinam exsurgunt, et remedia eadem quae nunc deprimentia putabantur, stimulantia demonstrant; quae stimulantia erant, ad sedantium classem referunt; eosdem morbos, qui ab aucta vitalitate et phlogistico processu orti dignoscebantur, aut a debilitate, aut a peculiari alia causa pendere demonstrant. Sunt qui morbos omnes universales; sunt qui partiales putant. Qui in phaenomenis omnibus nervorum perturbationes, qui vasorum, qui tubi gastro-enterici cernunt. Sed quis brevi sermone referre posset, quam longe doctissimorum virorum inter se discrepent sententiae, doctrinae, opiniones, judicia? Interea medicus, aut scriptor quisque eclecticismum profiteri, et observationibus et experientiae se tantum dicare clamat. Quot tamen opera extant, quae optima haec monita servent? Vitam, morbum, sanitatem quisque diverse definit, prout peculiari ejus doctrinae lubet. Nemo vocabulis in arte consuetis eamdem significationem tribuit.

Quid magis varium, quam *diathesis* explicatio? Hic morbi opportunitatem, illic indolem, nunc adauctam vim vitalem, nunc organismi conditiones varias indicat. Irritatio apud nonnullos perturbationem normae functionum tantum exprimit; apud alios tam simplici conditione non admittitur, et cum diathesibus confunditur. Natura et intrinseca agendi ratio stimulorum et contrastimulorum ab eorum effectubus nihil dum distinctae fuerunt. Febrium natura, periodicitatis morbosae causae, contagiorum vera indoles, morborum successiones et mu-

atio nes obscuro adhuc velamine teguntur. Accurata nosographia, quae universa practica argumenta amplectatur, et veterum lacunas adimpleat, adhuc deest. Pharmacologia, quae veras atque experitas tradat medicamentorum virtutes, desideratur: nam hae saepius ab opinione praeconcepta, quam a factis conjiciuntur, et nil communius quam contradictiones in eodem subjecto invenire. Medicamentum idem deprimens, roborans, inefficax, electivum tibi praebetur. Nec falsa fingo: historia enim tartari emetici, kermetis, ferri, plumbi, arnicae veritatem demonstrat.

Sed me talia sentientem non sit qui dubitet, minori quam par sit, obsequio medicinam colere. Multa re quidem vera desiderantur, sed stulti, aut ingrati animi esset, nova inventa, et recentes medicinae progressus contemnere. Scientiae gradatim proficiscuntur, et si unquam perfectio speranda fuit, quando magis hoc tempore, quo tot ingenia scriptorum, tot praeceptores doctissimi, tot studia philosophica methodo distributa, tot scientiarum naturalium progressus, qui juxta Baconem, basim medicinae efformant, splendissimum futurum tempus pollicentur?

# *THESES*

*I.*

*Non datur in phlogosibus vera intermittentia.*

*II.*

*Morbi primitus nunquam universales sunt.*

*III.*

*In pharmacis et virtus electiva agnosci debet.*

*IV.*

*Generatio vermium aequivoca minime admittenda est.*